



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

Capitulare tertium anni DCCCXI. de causis propter quas homines
exercitalem obeditionem dimittere solent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-19366

CAPITVLARE TERTIVM
ANNI DCCCXI.

Nunc primum editum ex duobus antiquis codicibus manuscriptis, uno Palatino bibliothecae Vaticanae, altero sancti Vincentij Metensis.

ITEM VNDE SVpra DE ANNO VNDECIMO.

De causis propter quas homines exercitalem obeditionem
dimittere solent.

C A P. I.

IN primis discordantes sunt, & dicunt quòd Episcopi, Abbates, & eorum Advocati potestatem non habeant de eorum tonsis Clericis & reliquis hominibus. Similiter & Comites de eorum pagensibus non habeant potestatem.

I I.

Quòd pauperes se reclamant expoliatos esse de eorum proprietate. Et hoc aequaliter clamant super Episcopos & Abbates & eorum Advocatos, & super Comites & eorum Centenarios.

I I I.

Dicunt etiam quòd quicumque proprium suum Episcopo, Abbati, vel Comiti, aut Iudici, vel Centenario dare noluerit, occasiones quærunt super illum pauperem quomodo eum condemnare possint, & illum semper in hostem faciant ire usque dum pauper factus volens nolens suum proprium tradat aut vendat, alij verò qui traditum habent, absque ullius inquietudine domi resideant.

I V.

Quòd Episcopi, & Abbates, sive Comites, dimittunt eorum liberos homines ad causam in nomine ministerialium. Similiter & Abbatissae. Hi sunt falconarij, venatores, telonearij, Præpositi, Decani, & alij qui Missos recipiunt & eorum sequentes.

V.

Dicunt etiam alij quòd illos pauperiores constringant & in hostem ire faciunt, & illos qui habent quod dare possint ad propria dimittunt.

Tom. I.

V I.

Dicunt ipsi Comites quòd alij eorum pagenses non illis obediant, nec bannum Domni Imperatoris adimplere volunt, dicentes quòd contra Missos Domni Imperatoris pro heribanno debeant rationem reddere. Nam non contra Comitem, etiam si Comes suam domum illi in bannum miserit, nullam exinde habeat reverentiam, nisi intret in domum suam, & faciat quaecunque ei libitum fuerit.

V I I.

Sunt etiam alij qui dicunt se esse homines Pippini & Chluduici, & tunc profitentur se ire ad servitium dominorum suorum quando alij pagenses in exercitum pergere debent.

V I I I.

Sunt iterum & alij qui remanent, & dicunt quòd seniores eorum domi resideant, & debeant cum eorum senioribus pergere ubicunque iussio Domni Imperatoris fuerit. Alij verò sunt qui ideo se commendant ad aliquos seniores quos sciunt in hostem non profecturos. Quòd super omnia magis fiunt inobedientes ipsi pagenses Comiti & Missis decurrentibus quam antea fuissent.

I X.

De illis hominibus qui parentes eorum, matrem, aut materteram, aut patruelem, aut quemlibet de sua genealogia occidunt, ut per illos non fiant conquesti. Sunt & alij qui de ipsa genealogia non debent esse inclinati, attamen fiunt propter illam occasionem inclinati.

Hh ij